Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Lectionarius de tempore, sectio partis hiemalis - Cod. Aug. perg. 14

[S.l.], [9. Jh.]

Evangelienlesung nach Matheus

urn:nbn:de:bsz:31-20216

Visual Library

numero in se ipse dominus Christus exercuit non ut
perfectum ipse caperet, sed ut perfectum salu
tis nobis ostenderet; nec enim erat in il
lo spinę peccati, quę verteretur in flo
rem; ipse enim erat flos natus non de
spinę sed de virga, sicut ait propheta: Exiet
virga de radice Iesse, et flos de
radice eius ascendet; virga enim
erat Maria nitidę subtilis et virgo,
quę Christum velut florem integritate
sui corporis germinavit; conti
nuatis ergo quadraginta diebus et
noctibus, hęc ieiunia non esuriens
dominus peregit; sed dicit illum evan
gelista esurisse postea; quomodo
ergo potest fieri, ut qui tantorum
dierum numero famem sitimque non sen
serit, postea esurierit; esuriebat
plane, nec negare possumus quod
esurierit; esurivit enim non cibum ho
minum, sed salutem necessariorum
secularium (orum); epulas concupivit,
sed enim eorum desideravit celes
tium sanctitatem; cibus enim Christi est
redemptio populorum; cibus Christi est patris
voluntatis effectus, sicut ipse ait:
Meus autem cibus est ut faciam voluntatem
patris qui me misit; unde et nos esu
riamus cibum non qui terrenis epu
lis apparatur, sed qui divinarum
scripturarum lectione colligitur;
ille enim corpus ad tempus nutrit,
hic autem animam reficit in ęternum;

Lectio sancti evangelii secundum Matheum

In illo tempore: Ductus est Iesus in desertum
a spiritu ut temptaretur a diabolo. Et cum
ieiunasset quadraginta diebus et XL noctibus,
postea esuriit. Et reliqua.

Item omelia beati Gregorii papae de eadem lectione

Dubitari a quibusdam solet a quo spiritu
sit Iesus ductus in desertum, propter hoc quod
subditur: Assumpsit eum diabolus in sanctam
civitatem, et rursus adsumpsit eum in mon
tem excelsum. Sed vere et absque ulla
questione convenienter accipitur, ut
a sancto spiritu in desertum ductus credatur,
ut illuc eum suus spiritus duceret, ubi hunc
ad temptandum spiritus malignus inveniret;
sed ecce cum dicitur Deus homo vel in excelsum
montem vel in sanctam civitatem a diabolo
adsumptus, mens refugit, humanę hoc
audire aures expavescunt; qui tamen
non esse incredibilia ista cognoscimus,
si in illo et alia facta pensamus; certe
iniquorum omnium diabolus caput est,
et huius capitis membra sunt omnes iniqui;
an non diaboli membrum fuit Pilatus,
an non membra diaboli Iudei persequentes dominum
et milites crucifigentes
fuerunt; quid ergo mirum si se ab illo
permisit in montem duci, qui se pertulit